t Stis generib⁹ ſine vlla dubitatione dānatis/ ſequiꝛ genus mēdacij tāq̄ gradatim ad meliora ſurgentib⁹/ qȯ beniuolis ⁊ bonis vulgo tribui ſolet: cū ille qui mentiꝛ: nō ſolū alteri nō obeſt/ ſed etiaz prodeſt alicui. De iſto genere eſt tota cōtentio: vtrū ne ſibi obſit/ q̄ ſic prodeſt alteri: vt faciat contra veritatē. Aut ſi veritas illa ſola dicēda eſt/ q̄ ipſas mentes intimo atq; incōmutabili lumine illuſtrat. Facit certe ꝯtra aliqȯ veꝝ: quia ⁊ ſi falluntꝛ corporis ſenſus/ cōtra verū tamē facit/ qui dicit aliq̄d ita eſſe vel nō ita qȯ ei nec mēs nec ſenſus nec opinatio ſua fideſve renūciat. Vtrū ergo non ſibi obſit q̄ hoc modo alteri prodeſt: an illa cōpenſatiōe nō obſit ſibi q̄ ꝓdeſt alteri/ magna quęſtio eſt. Si ita eſt: cōſequēter etiam ſibi prodeſſe debet ꝑ mendaciū qȯ nulli obeſt. Sed ea cōnexa ſunt: ⁊ iſtis conceſſis neceſſaria trahunꝛ q̄ multū cōturbent. Si eñ querāꝛ/ quid obſit homini copijs ſuperfluis redundanti/ ſi de innumeris milib⁹ frumentoꝝ amittat vnū modiū/ qui tamē modius poſſit ad neceſſariū victū prodeſſe furanti? Cōſequēs erit/ vt et furtū ſine rep̄henſione fieri poſſit: ⁊ falſum teſtimoniū ſine peccato dici. Quo q̄d dici poteſt ꝑuerſius? An vero ſi alius furatus eſſet illum modiū ⁊ tu videres/ interrogatuſq; eſſes: mētireris honeſte pro paupere? Et ſi id ꝓ tua paupertate fa-

Quomō differunt mentiēs et mendax

cilius culpaueris / quaſi amplius aliū ꝗ̄
intelligere debeas: Utrūqꝫ ergo turpe atqꝫ
vitandū eſt. Sed fortaſſis exceptionem ad/
dendā qs putet: vt ſint quidē honeſta mē/
dacia: q̄ nō ſolū nulli obſunt / ſed etiā nōnul
li proſunt / exceptis his q̄bus crimina occul
tanť ⁊ defenduntť: vt ideo ſit illud turpe mē
daciū: qđ ꝗ̄uis nulli obſit / ⁊ ꝓſit pauperi /
furtū tñ occultat. Si aūt ita nulli obeſſet et
prodeſſet alicui / vt etiā nullū peccatū occul
taret atqꝫ defenderet / turpe nō eſſet. Velut
ſi quiſpiā pecuniā ſuā te vidēte abſconde/
ret ne p̄ furtū aut vim amitteret: atqꝫ inde
interrogatꝰ mētireris: neqꝫ obeſſes cuiq̄ / ⁊ ei
prodeſſes cui opus erat illud occultū ⁊ nul/
lum peccatū mētiendo texiſſes: Nō eñ q̄ſqꝫ
peccat abſcondēdo rem ſuā quā timet amit
tere. Sed ſi ꝓpterea nō peccamꝰ mentiendo
quia nullius peccatū tegentes / ⁊ nulli obſu
mus / ⁊ alicui proſumus: q̄d agimus de ipſo
Exo. 20. c. pctō mendacij? Ubi eñ poſitū eſt: Ne fur/
tum feceris: ibi poſitū eſt / ne falſū teſtimo
niū dixeris: Cū ergo ſingula ꝓhibeanť / cur
falſum teſtimoniū tūc eſt culpabile ſi furtū
tegat vel aliqđ aliud pctm̄? Si autē nulla
defenſione peccati p̄ ſeipſum fiat / nō eſt cul/
pabile: cū ipſum furtū p̄ ſe culpabile ſit: ⁊ ce
tera peccata. An occultare peccatū nō licet /
⁊ facere pctm̄ licet? Qđ ſi abſurdū eſt / q̄d di
cemus? An falſum teſtimoniū nō eſt / niſi cū
q̄ſquis ita mentiť / vt aut crimē cōfingat in
aliquē / aut alicuiꝰ crimen occultet / aut quo/
quo modo quēq̄ in iudicio p̄mat? Uidetur
eñ teſtis iudici neceſſarius ad cauſe cogni/
tionē. Sed ſi hactenꝰ teſtem ſcriptura nomi
1. Cor. 15. b. naret: nō diceret aplus paulus: Inuenimur
aūt ⁊ falſi teſtes dei / ſi teſtimoniū diximus
aduerſus deū / quia excitauit chriſtū quē nō
excitauit ſi mortui non reſurgunt. Ita eñ
oſtendit falſum teſtimoniū eſſe mendaciū /
etiam ſi in cuiuſq̄ falſa laude dicatur.

Quid ſit falſum dicere teſtimo/niū: ⁊ quō nulla rōne admittēdū: (Ca. XIII.

A N forte tunc dicit falſū
a teſtimoniū qui mentiť: cū aut pctm̄
alicuiꝰ vel fingit vel tegit: aut alicui
obeſt quoquo modo? Si eñ mendaciū qđ
aduerſus vitā cuiuſq̄ tp̄alē diciť / deteſtabi
le eſt: quāto magis qđ aduerſus vitā eter/
nā: ſicuti eſt omne mendaciū ſi in doctrina
religonis fiat. Et ideo falſū teſtimoniū vo/
cat aplſ / ſi q̄s de chriſto etiā qđ ad eiꝰ laudē
videť ptinere / mentiať. Si autē mēdacium
ſit qđ neqꝫ cuiuſq̄ peccatum / aut cōfingat /
aut tegat: nec a iudice querať: ⁊ nulli obſit /
et ꝓſit alicui: nec falſum teſtimoniū eſſe nec
reprehenſibile mendaciū. Quid ḡ ſi ad chri/
ſtianū homicida cōfugiat / aut videat quo
cōfugit: ⁊ de hac re interrogeť ab eo qui ad
ſuppliciū q̄rit hominē hoīs interfectorem
mentiendū eſt? Quō eñ nō tegit peccatum
mētiendo: cū ille p̄ quo mentiť peccatū ſce/
leratū admiſerit? An quia nō de peccato eiꝰ
interrogať / ſ; de loco vbi lateat? Ergo men/ Quō mentiri malum nō ſit
tiri ad tegendū cuiuſq̄ peccatū / malum eſt:
mentiri autē ad tegendū peccatorē / nō eſt
malū. Ita ſane ait quiſpiā: Nō eñ tūc pec/
cat quiſq̄ cū euitat ſuppliciū / ſed cū facit ali
quid dignū ſupplicio. Pertinet aūt ad diſci/
plinam chriſtianā / vt neqꝫ de cuiuſq̄ corre/
ctione deſpereť / neqꝫ cuiq̄ penitendi inter/
cludať aditus. Quid ſi ad iudicem ductꝰ de
ipſo loco vbi ſe ille occultat interrogeris: di/
cturus es: aut nō ibi eſt vbi eū ſcis eſſe: aut
nō noui ⁊ nō vidi / qđ noſti ⁊ vidiſti? Dictu/
rus ḡ es falſum teſtimoniū et occiſurꝰ aīam
tuā / ne occidať homicida? An vſqꝫ ad ꝯſpe
ctū iudicis mētieris: iudice aūt q̄rēte iā ve/
rū dices: ne ſis falſus teſtis? Ipſe igiť hoīem
ꝓditiōe occiſurus es / et iā proditorē quippe
diuina ſcriptura deteſtať. An forte ꝓditor
nō eſt qui iudici interroganti verū indicat:
eſſet autē proditor ſi quēq̄ ad exitiū vltro
deferret? Quid ſi dē iuſto atqꝫ innocēte vbi B
lateat ſciens a iudice interrogeris: q̄ tamen
ad mortē a maiore poteſtate iuſſus eſt rapi /
vt ille q̄ interrogat executor ſit legis / nō cō/
ditor: an ideo non erit falſum teſtimoniū qđ
pro innocēte mentieris: quia nec ille iudex /
ſed executor interrogat? Quid ſi ipſe condi
tor legis interroget / aut q̄libet iudex iniquus
ad ſuppliciū q̄rens innocentē? Quid facies:
falſus teſtis an ꝓditor eris? An ille erit pro/
ditor q̄ iuſto iudici latentē homicidā vltro
detulerit: ⁊ ille nō erit q̄ iudici iniuſto vbi la
teat innocēs quem q̄rit / occidere interro/
ganti / indicauerit eū q̄ ſe fidei eius cōmiſe/
rat? An inter crimē falſi teſtimonij ⁊ prodi/
tionis / dubiꝰ incertuſq̄ remanebis? An ta/
cendo vel ꝓfitendo te nō eſſe dicturū / certꝰ
vtrūqꝫ vitabis? Cur ergo nō hoc facias / et
priuſq̄ ad iudicē venias / vt caueas etiā mē
daciū? Euitato eñ mēdacio / oīe teſtimo/
niū falſū effugies / ſiue omne mendaciū ſit
falſum teſtimoniū / ſiue non omne. Euitato
autē falſo teſtimonio qđ tu eſſe intelligis /
nō effugies omne mendaciū. Quanto ergo
fortius / quanto excellētius dices: nec pro/
dam / nec mentiar. Fecit hoc ep̄s q̄ndā tha/ C
gaſtenſis eccleſie firmꝰ noīe / firmior volun/
tate: Nā cū ab eo q̄rereť hō iuſſu imperato
ris p̄ apparitores ab eo miſſos / quē ad ſe cō/

fugientē diligentia quāta poterat occulta/
bat: reſpōdit querētibꝰ/ nec mentiri ſe poſ/
ſe/nec hominē prodere: paſſuſq; multa tor/
menta corporis: nōdum enī erant impera/
tores chriſtiani: permāſit in ſententia. De/
inde ad imperatorē ductus/ vſq; adeo mira
bilis apparuit/ vt ipſi homini quē ſeruabat/
indulgentiā ſine vlla difficultate impetra/
ret. Quid hoc fieri poteſt fortius atq; con/
D ſtantius? Sz ait quiſq; timidior: Paratus
eſſe poſſum ad quelibet ferēda tormēta/ vel
etiā mortē ſubeundā ne peccem: Cum autē
peccatū nō ſit ita mentiri/ vt neq; cuiq; ob/
ſis/neq; falſum teſtimoniū dicas/ et proſis
alicui: ſtultū eſt ꝛ graue peccatū/ volūtaria
fruſtra ſuſtinere tormenta/ et fortaſſis vtilē
ſalutē/ ac vitā incaſſum ſeuiētibꝰ proijcere.
Exo. 20. c. A quo quero/ cur timeat qḋ ſcriptū eſt: Fal
ſum teſtimoniū nō dices: et non timeat qḋ
Pſ. 5. a deo dictum eſt: Perdes oēs q̄ loquunt̄
mendaciū? Nō inq̄t ſcriptū eſt: Oē men/
daciū: ſed ita intelligo/ ac ſi ſit ſcriptū: Per/
des oēs qui loquunt̄ falſum teſtimoniū.
Ac nec ibi dictū eſt: Omne falſum teſtimo/
nium: ſed ibi poſitum eſt inquit/ vbi cetera
que omīmodo mala ſunt. Num et illud qḋ
ibi eſt: Nō occides? Qḋ ſi omnimodo ma/
lum eſt/ quomō ab hoc crimine excuſabunt̄
iuſti qui poſt legē datā multos occiderūt?
Sed respondet̄/ q̄ nō ipſe occidat qui iuſti
alicuius precepti miniſter eſt. Horū ego ti/
morem ſic accipio/ vt tamē illū laudabilem
virū/ qui nec mētiri voluit/ nec hoiem pro/
dere: et melius arbitrer intellexiſſe qḋ ſcri/
ptum eſt: et intellectum fortiter impleuiſſe.
E Sed venit̄ aliq̄n ad huiuſmodi articulū/ vt
nō interrogemur vbi ſit ille q̄ q̄rit̄/ neq; co/
gamur vt eū prodamꝰ/ ſi ſic occultatus eſt/
vt inueniri facile niſi ꝓditus nequeat: ſed
querit̄ a nobis vtrū illo loco ſit/ an non ſit.
Ubi ſi eū eſſe ſcimus/ tacendo eū prodimꝰ:
vel etiā dicēdo nequaq; nos eſſe dicturos/
vtrum ibi ſit/ an nō ſit. Ex hoc enī colligit
ille qui querit ibi eum eſſe: vbi ſi nō eſſet/ ni
hil aliud ab eo qui mentiri nollet/ nec homi
nem prodere/ niſi eum nō ibi eſſe reſponde/
retur: Ita per noſtrā taciturnitatē vel talia
verba homo ꝓditur/ vt intret qui querit ſi
poteſtatē habet et inueniat eū: q̄ tamen ab
eiꝰ inuentione mēdacio noſtro poſſet auer/
ti. Quapropt̄ ſi neſcis vbi ſit: nulla eſt cau/
ſa occultande veritatis/ ſed te neſcire faten/
dum eſt. Si autē ſcis vbi ſit: ſiue ibi ſit vbi
querit̄/ ſiue alibi: nō eſt dicendū cū queſitū
fuerit/ vtrum ibi ſit/ an non ſit: non dico qḋ
queris/ ſed dicendū: ſcio vbi ſit/ nunq; mon
ſtrabo. Nā ſi de vno loco/ non reſpondeas/
et te nō eſſe proditurū fatearis: tale eſt ac ſi
eundem locū digito oſtendas: Mouet̄ enī
certa ſuſpitio. Si autē pmo fatearis te ſcire
vbi ſit/ ſed nō dicere: poteſt fortaſſe ab illo
loco inquiſitor auerti/ et tibi iam incumbe/
re/ vt vbi eſt/ a te prodat̄. Pro qua fide atq;
humanitate quicq̄d fortiter tuleris: nō ſolū
nō culpabile/ ſed etiā laudabile iudicatur:
exceptis dūtaxat his q̄ ſi paſſus fuerit hō/
non fortiter/ ſed impudice ac turpiter pati
dicitur. Hoc eſt enī vltimū mendacium/ de
quo diligentius tractandū eſt.

Supradictoꝝ ꝯſtrictio: Ca. XIIII.

A
Am primū extat euitandū capitale
n mendaciū longeq; fugiendū/ qḋ fit Mendacioꝝ genera
in doctrina religionis: ad qḋ men/
dacium nulla conditione quiſq; debet ad/
duci. Secundū autem qḋ tale eſt vt et nulli
proſit/ et obſit alicui. Tertiū qḋ ita prodeſt
alteri vt obſit alteri: q̄uis nō ad immundi/
ciam obſit corporalē. Quartum qḋ fit ſola
mentiendi fallēdiq; libidine: qḋ merū men
dacium eſt. Quintū qḋ fit placendi cupidi/
tate de ſuauiloquio. His oībus penitus
euitatis atq; reiectis/ ſequit̄ ſextum genus
qḋ et nulli obeſt/ et prodeſt alicui q̄rēti cuiq;
interrogante. Septimū/ qḋ et nulli obeſt/ ꝛ
prodeſt alicui excepto/ ſi iudex interrogat.
De quibus duobꝰ generibꝰ que ſolent ha/
bere magnā ꝯtrouerſiam/ ſatis tractauimꝰ:
et quid nobis placeret oſtendimꝰ/ vt ſuſci/
piēdis incōmoditatibꝰ/ que honeſte ac for/
titer tolerant̄/ hec quoq; genera deuitent̄
a fortibus et fidelibus et veracibꝰ viris ac
feminis. Octauū eſt genꝰ mendacij/ qḋ et
nulli obeſt/ et ad hoc prodeſt vt ab immun
dicia corporali aliquē tueat̄/ dumtaxat ea
quā ſuperius cōmemorauimꝰ. Nā etiā non Math. 15. b.
lotis manibus manducare/ immūdiciā pu/
tabant iudei. Aut ſi et hanc quiſq; immun/
diciam vocat/ nō tamen talem pro qua eui/
tanda mentiendū ſit. Si autē mendaciū ta/
le eſt qḋ alicui faciat iniuriā/ etiā ſi ab hac
immundicia quā oēs homines abhorrēt
ac deteſtant̄/ muniat hominē: vtrum et hoc
genere mentiendū ſit/ ſi talis fiat iniuria p
mendaciū que non ſit in eo genere immun/
dicie de quo nunc agimꝰ/ alia q̄ſtio eſt: Nō
enī iam de mēdacio querit̄/ ſed querit̄ vtrū
alicui facienda ſit iniuria etiā non per men
dacium/ vt illa ab altero immūdicia depel/
latur. Qḋ nullo modo putauerim: q̄uis ꝓ/
ponant̄ leuiſſime iniurie: Sicut eſt illa quā

de vno modio amiſſo ſupra cōmemoraui/ ⁊ multū perturbent/ vtrū nō debeamꝰ facere cuiq̄ vel talem iniuriā/ſi ea poteſt aliuſ ne ſtuprum patiatur defendi aut muniri. Sed vt dixi alia queſtio eſt.

An mentiendū ſit nulli faciēdo iniuriā q̄tenus malū vitet: et quō occulta ſcripturarū ex fact ſint intelligenda iuſtoꝝ: Ca.xv.

A Nunc illud quod inſtituimus pagamus: Utrū mentiendū ſit ſi etiā ineuitabilis cōditio ꝓponatur/ vt aut hoc faciamus/ aut ſtuprū patiamur: vel aliquam execrabilē inquinationē/ etiā ſi mentiendo nulli faciamus iniuriam. De qua re patebit aliquis cōſiderationi locus/ ſi ꝑus diuinas auctoritates que mendaciū prohibent diligenter diſcutiamus: Si enim ipſe nullum dant locum/ fruſtra querimus qua exeamus. Tenendū eſt eñi omnimodo preceptū dei et volūtas dei/ in his que tenēdo ꝑceptū eius paſſi fuerimus equo animo ſequenda: ſi autē relaxatur aliq̄s exitus/ non eſt in tali cauſa recuſandū mendaciū. Propterea diuine ſcripture/ nō ſolum precepta dei cōtinent/ ſed etiaz vitā moreſq̄ iuſtoꝝ: vt ſi forte occultū eſt/ quēadmodū accipiendum ſit quod precipit: in factis iuſtoꝝ intelligatur. Exceptis itaq̄ his fact que poteſt quiſq̄ ad allegoricā ſignificationē referre: q̄uis geſta eſſe nemo ambigat: ſicuti ſunt fere oīa in libris veteris teſtamēti: Quis eñi ibi aliquid audeat affirmare nō pertinere ad figuratā prenunciationē? Quippe cū apoſtolus etiam filios abraam/ quos vtiq̄ naturali ordine propagandi populi editos eſſe atq̄ vixiſſe facillime dicitur: non enim monſtra ⁊ prodigia nata ſunt vt ad ſignificationem aliquā ducant animā: duo tamē teſtamenta ſignificare aſſerat: ⁊ beneficium illud mirabile quod deus populo iſrael preſtitit ad eruendos eos de ſeruitute qua in egypto ꝑmebantur/ penāq̄ vindicte cuz in itinere peccaſſent in figure contigiſſe dicat: que facta inuenies q̄bus iſtam regulaz deroges et affirmare ꝑſumas ad figuram aliquam nō eſſe redigenda.

B His ergo acceptis ea que in nouo teſtamento a ſanctis facta ſunt: vbi moꝝum imitandoꝝ euidentiſſima cōmendatio eſt: valeant ad exempla intelligendarū ſcripturaꝝ que in ꝑceptis digeſta ſunt. Uelut cū legimus in euāgelio: Accepiſti alapam: para alteram maxillā. (Matth.5.f.) Exemplum aūt patientie nullum q̄ ipſius domini potentius ⁊ excellentius inuenimus. At ipſe cū alapa percuſſus eſſet/ nō ait: ecce altera maxilla/ ſ ait: Si male dixi/ exprobra de malo: ſi aūt bene/ q̄d me cedis? (Joh.18.d.) Ubi oſtendit illaz ꝑparationē alterius maxille in corde faciendā. Quod etiā apoſtolus paulus vtiq̄ nouerat. Nam ⁊ ipſe cū eſſet alapa ꝑcuſſus ante pontificē/ nō ait: percute maxillam alterā/ ſed: Percutiet te dñs inquit/ paries dealbate; et tu ſedes iudicare me ſm legē: et contra legē iubes me pcuti? (Act.23.a.) Altiſſime intuens ſacerdotiū iudeoꝝ iam tale factuz fuiſſe/ vt nomine forinſecus niteret/ intrinſecus autem luteis concupiſcentiis ſorderet. Quod tranſiturū eſſe vindicta domini videbat in ſpiritu/ cū illud diceret: ſed tamen coꝛ paratū habebat: non ſolū ad alias alapas accipiendas/ ſed etiā q̄libet tormēta ꝓ veritate patienda cū eoꝝ dilectione a quibus illa pateref.

C Scriptū eſt etiā: Ego autē dico vobis: nō iurare omnino. (Matth.5.e.) Iurauit autem ipſe apoſtolus in epiſtolis ſuis: Et ſic oſtendit quomodo accipiendū eſſet qđ dictum eſt: Dico vobis non iurare oīno: ne ſcilicet iurando ad facilitatē iurandi veniatur: ⁊ ex facilitate ad ꝯſuetudinē: atq̄ ita ex cōſuetudine in periuriū decidatur. Et ideo nō inuenif iuraſſe niſi ſcribens/ vbi cōſideratio cautioꝛ nō habet linguā precipitē. Et hoc vtiq̄ a malo/ ſicut dictū eſt: Quod aūt ampliꝰ eſt/ a malo eſt: nō tamē ſuo/ ſed eoꝝ infirmitatis q̄bus etiam ſic fidē facere conabatur: Nā qđ loquens iuraſſet dum nō ſcriberet/ neſcio vtrum aliqua de illo ſcriptura narrauerit. Et tamen dñs ait: Oīno non iurare. Nō eñi conceſſit vt id liceret ſcribentibus. Sed quia ꝑcepti violati reum paulū ꝑſertim in epiſtolis conſcriptis atq̄ editis ad ſpiritalem vitā ſaluteq̄ populoꝝ nefas eſt dicere: intelligendū eſt illud qđ poſitum eſt/ oīno ad hoc poſitum/ vt quantū in te eſt nō affectes/ nō ames/ nō quaſi pro bono cū aliqua delectatione appetas iuſiurandū. Sicut illđ: Nolite cogitare de craſtino. (Matth.6.d.) Et/ Nolite itaq̄ cogitare q̄d māducetis ⁊ quid bibatis/ ⁊ quid induamini. Cū autē videmꝰ ⁊ ipſum dñm habuiſſe loculos quo ea q̄ dabanf/ mittebanf vt ſeruari poſſent ad vſus pro tempore neceſſarios: (Joh.13.c.) ⁊ ipſos apoſtolos ꝓcuraſſe multa fratrū indigentie: nō ſolum in craſtinū/ ſed etiā in ꝓlixius tēpus impendentis famis: ſicut in actibꝰ apoſtoloꝝ legimus: (Act.11.d.) ſatis elucet illa ꝑcepta ſic intelligēda: vt nihil operis noſtri temporaliū adipiſcendoꝝ amoꝛe vel timoꝛe egeſtatis tanq̄ ex neceſſitate faciamꝰ. Itē dictū eſt apoſtolis/

vt nihil ſecū portantes in via ex euangelio
viuerent. Et quodā loco etiam ipſe domin⁹
Matth. 10. b. ſignificauit cur hoc dixerit / cū addidit: Di/
gnus eſt enī operarius mercede ſua. Ubi
ſatis oſtēdit permiſſum hoc eſſe / nō iuſſum:
ne forte qui hoc faceret vt in opere pꝛędica/
tionis verbi aliquid ab eis q̄bus p̄dicaret
in vſus vitę huius ſumeret / illicitū aliquid
ſe facere arbitraret. Poſſe tamē laudabili⁹
nō fieri / in apoſtolo paulo ſatis demōſtra/
Gal. 6. b. tum eſt. Qui cum diceret: Cōmunicet autē
qui cathecizat verbo ei qui ſe cathecizat in
oīb⁹ bonis: et cū multis locis id ſalubri/
ter fieri ab eis quibus verbū p̄dicaret / oſtē/
1. Corī. 9. b. deret: ſed tamen ego inquit non ſum vſus
hac poteſtate. Poteſtatem ergo dedit do/
minus cum iſta diceret: non imperio con/
ſtrinxit. Ita plęraq; in verbis intelligere
non valentes / in factis ſanctoꝝ colligimus
quemadmodum oporteat accipi: quod fa/
cile in aliam partē duceretur niſi exemplo
reuocaretur..

De duplici ore / cordis ſcz et cor/ poris: ⁊ ex quo p̄deat mēdaciū oc cidens animam: Ca. XVI.

A
Sap. 1. c. Ic ergo quod ſcriptū eſt: Os autē
quod mentitur occidit animam: de
quo ore dixerit / quęrit̄. Plęrūq; enī
ſcriptura cū os dicit / conceptaculum ipſum
cordiſ ſignificat: vbi placet ⁊ decernit̄ q̄cq̄d
etiam per vocē cū veꝝ loquimur enunciat̄:
vt corde mentiat̄ cui placet mēdaciū. Poſ/
ſit autē nō corde mentiri qui per vocē aliud
q̄ eſt in animo ita profert / vt maioris mali
euitandi causa malū ſe admittere nouerit:
cui tamen vtrūq; diſpliceat. Et qui hoc aſſe/
runt / ita dicūt etiam illud intelligendū qđ
Ps. 14. ſcriptū eſt: Qui loquitur veritatē in corde
ſuo: quia ſemper in corde veritas loquēda
eſt: non autē ſemper in ore corporis / ſi aliq̄
cauſa cauēdi maioris mali aliud q̄ in aīo ē
voce p̄ferri exigat. Et eſſe quidē os cordis
ex hoc iam intelligi poteſt: quod vbi locu/
tio ē / ibi os nō abſurde intelligit̄. Nec recte
diceret̄: qui loquitur in corde ſuo / niſi et os
in corde recte intelligeret̄. Q̄q̄ et eo ipſo
Sap. 1. c. loco vbi ſcriptū eſt: Os autē quod mentit̄
occidit animā: ſi circūſtantia lectiōis conſi/
deretur / nō accipitur fortaſſe aliud q̄ os cor/
dis. Obſcurū enī reſponſum ibi eſt vbi ho/
mines latet: qui os cordis niſi ori corporis
cōſonet audire nō poſſunt. Illud autem os
dicit in eo loco ſcriptura peruenire ad audi/
tum ſpiritus domini qui repleuit orbē ter/
rarum: ita vt etiā labia ⁊ vocem ⁊ linguam
commemoret in eo loco: nec tamen omnia
ſinat intellectus niſi de corde accipi: quia
deum dicit nō latere quod dicit̄. Quod au/
tem ſono iſto ad aures noſtras pertinente
dicit̄ / nec homines latet. Ita quippe ſcriptū B
eſt: Humanus eſt enim ſpiritus ſapientię / ⁊ Sap. 1. b.
non liberabit maledictū a labijs eius: quo/
niam renum illius teſtis eſt deus: ⁊ cordis
illius ſcrutator eſt verus: ⁊ linguę illius au/
ditor: quoniā ſpiritus domini repleuit or/
bem terrarum: et hoc quod continet omnia
ſcientiam habet vocis. Propter hoc qui lo/
quitur iniqua / nō poteſt latere: ſed nec pręte/
riet illum corripiens iudicium. In cogi/
tationibus enī impij interrogatio erit: ſer/
monum autem illius auditio a domino ve/
niet ad correptionē iniquitatū illius. Quo/
niam auris zeli audit omnia: et tumultus
murmurationum non abſcondetur. Cuſto/
dite ergo vos a murmuratione quę nihil
p̄deſt: et a detractione parcite linguę: quo/
niam reſponſum obſcurum inuacuum non
ibit: Os autem quod mentitur occidit ani/
mam. Uidetur ergo his minari qui obſcu/ C
rum putant et ſecretū eſſe / quod corde agi/
tant atq; verſant. Tam vero clarum oſten/
dere voluit hoc eſſe auribus dei / vt etiam
tumultū eum appellauerit. Manifeſte etiā
in euangelio inuenimus os cordis: vt vno
loco / et corporis / et cordis ore dominus cō/
memoraſſe inueniat̄ / vbi ait. Adhuc et vos Matth. 15. b.
ſine intellectu eſtis: Non intelligitis / quia
omne quod in os intrat / in ventrem vadit
et in ſeceſſum emittitur: quę autem proce/
dunt de ore / de corde exeunt / et ea coinqui/
nant hominem: De corde enī exeunt cogi/
tationes malę / homicidia / adulteria / forni/
cationes / furta / falſa teſtimonia / blaſphe/
mię: hęc ſunt quę coinquinant hominem.
Hic ſi vnum os quod eſt corporis intellexe/
ris: quomodo intellecturus es: quę autem
procedunt de ore / de corde exeunt: cum et
ſput⁹ et vomitus de ore procedat: Niſi for/
te tunc quiſq; non coinquinatur / cum ędit
aliquid immundum: coinquinatur autem
cum id euomit. Quod ſi abſurdiſſimū eſt /
reſtat vt os cordis intelligamus a domino
expoſitum / cum ait: Quę procedūt de ore /
de corde exeunt. Nam et furtum cum poſſit
et ſępe ita fiat in ſilentio corporalis vocis
atq; oris perpetrari: dementiſſimum eſt ſic
intelligere vt tunc putemus quemq̄ pec/
cato furti contaminari / cum id fatetur / aut
dicat: cum autem id tacite committit / in/
coinquinatum arbitrari. At vero ſi ad os

745

cordis quod dictū eſt referamus: nihil om/
nino peccati tacite cōmitti poteſt. Non eñ
committiꝛ niſi ex ore illo interiore ꝓcedat.
Sap̄.1.c. Sicut autez querif de quo ore dixerit: Os
autem quod mentiꝛ occidit animā: ita que/
ri poteſt etiā/de quo mendacio. Videꝛ eñ
de illo ꝓprie dicere/quo cuiꝗ detrahitur:
Ait eñ: Abſtinete ergo vos a murmuratio/
ne que nihil prodeſt: ⁊ a detractiōe parcite
lingue. Fit autem iſta detractio per maliuo
lentiam: cum quiſqꝫ non ſolum ore ac voce
corporis profert quod cōfingit in aliquem/
ſed etiam tacitus talem vult credi: quod eſt
vtiqꝫ ore cordis detrahere: quod dicit ob/
ſcurū et occultum deo eſſe non poſſe. Nam
Ecc̄.7.b. quod alio loco ſcriptū eſt: Noli velle men/
tiri omne mendacium: non ad hoc volunt
valere/vt nullo mēdacio quiſqꝫ mentiatur:
Itaqꝫ cū alius dixerit ex iſto ſcripture teſti/
monio: vſqꝫ adeo generaliter omne menda/
cium eſſe deteſtandū/vt etiā ſi quis mentiri
velit/etiā ſi nō mentiaꝛ/iam voluntas ipſa
damnanda ſit: atqꝫ ad hoc interpretetur ꝙ
nō dictū ē: noli mentiri om̄e mendaciū/ſed:
Noli velle mentiri om̄e mendaciū: vt nō ſo
lum mentiri/ſed nec velle mentiri quiſqꝫ au
deat vllo mendacio.

In contrariū arguitur/adhibeturqꝫ ſolutio: Ca. XVII.

A D icit alius: Immo qđ ait: Noli velle
mentiri omne mendaciū: de ore cor/
dis exterminandū atqꝫ alienanduz
eſſe mendaciū noluit: vt a quibuſdā menda
cijs ore corpis abſtinendū ſit: ſicut illa ſunt
maxime que ꝑtinent ad doctrinā religiōis:
a quibuſdā vero non ſit ore corporis abſti/
nendū/ſi maioris mali euitādi cauſa exigit:
ore aūt cordis ab omni mēdacio penitꝰ ab/
ſtinere debeamꝰ: Vbi oportet intelligi qđ
dictū eſt: Noli velle. Volūtas ꝗppe ipſa qſi
os cordis accipiꝛ: vt non ꝑtineat ad os cor/
dis cū maius malū cauentes mentimur in/
uiti. Eſt ⁊ tertius intellectus/ꝗ ſic accipias:
noli om̄e/vt exceptis aliqbꝰ mēdacijs men/
tiri te ſinat. Tanqꝫ ſi diceret: Noli velle cre/
dere omni homini: non vtiqꝫ vt nulli cre/
deretur moneret/ſed vt nō omibus/aliqui/
bus autē crederetꝛ: et id quod ſequiꝛ: Aſſi/
duitas eñ eius non ꝓficiet ad bonū: ita ſo/
nat: qſi nō a mendacio/ſed ab aſſiduo men/
dacio/id eſt a cōſuetudine atqꝫ amore men/
tiendi prohiberi videatur. Quo ꝑfecto di/
labitur quiſquis: vel omni mendacio puta/
uerit abutendum: ita eñ nec illud cauebit/
quod fit in doctrina pietatis et religionis:
quo ſceleratius qđ facile nō inuenias: non
inter omnia mēdacia/ſed inter omnia pecca
ta: vel alicui mēdacio/cuiuis facili/cuiuis in/
noxio nutū voluntatis accōmodauerit: vt
non inuitus euadendi maioris mali cauſa/
ſ volēs libenſqꝫ mentiaꝛ. Ita cū tria ſint ꝗ B
in hac ſententia intelligi poſſint: aut omne
mendaciū nō ſolū mentiri noli/ſed nec vel/
le mentiri: aut noli velle/ſed vel inuitꝰ men
tire cū fugiendū eſt aliqđ grauius: aut noli
omne/vt exceptis aliqbus mendacijs cete/
ra permittanꝛ: vnū hic pro his qbus mēti/
ri nunqꝫ placet/duo pro illis qui aliquādo
putant eſſe mentiendū inueniunꝛ. Sed tñ
qđ ſequiꝛ: Aſſiduitas eñ eiꝰ nō proficiet ad
bonū/neſcio vtrū poſſit prime harū trium
ſententie ſuffragari: niſi forte ita vt ꝑfecto/
rum ꝑceptū ſit: om̄ino nunqꝫ nō ſolū men/
tiri/ſed nec velle mentiri: Aſſiduitas vero
mentiendi nec proficiētibus permittatur:
Tanqꝫ ſi cū ꝑciperetꝛ: nunqꝫ prorſus nō ſo/
lum mentiēdū/ſed nec voluntatē habendā
eſſe mentiendi: cōtradiceretur exemplis/ꝙ
aliqua ſunt etiā magna auctoritate appro/
bata mendacia: Reſpōderetꝛ aūt illa quidē
eſſe proficientiū que habent ſm hanc vitaz
qlecūqꝫ officium miſcdie: ſed vſqꝫ adeo eſſe
om̄e mendaciū malū/⁊ perfectis atqꝫ ſpiri/
talibus animis omnimodo fugiendum/vt
nec ipſis proficientibꝰ aſſiduitas eius ꝑmit
tenda ſit. Dictū eſt eñ iam de obſtetricibꝰ Exo.1.a.
egyptijs/ꝙ de indole ad melius proficien/
di mentiētes approbate ſunt: Quia nōnul/
lus gradus eſt ad diligendā veram ac ſem/
piternam ſalutē/cum quiſqꝫ miſericorditer
etiā pro alicuiꝰ cuiuis mortali ſalute menti/ C
tur. Item qđ ſcriptū eſt: Perdes omnes q Ps̄.5.
loquunꝛ mendaciū: Alius dicit nullum hic
exceptū eſſe mendaciū/ſed om̄e damnatū.
Alius dicit/ita ꝟo/ſed qui loquunꝛ ex cor/
de mendaciū/ſm ſuperiorē diſputationem:
Nam veritatem loquitur in corde qui odit
mentiendi neceſſitatē: quam penam huius
vite mortalis intelligit. Aliꝰ dicit: omnes
quidem perdet deus qui loquunꝛ menda/
cium/ſed non om̄e mendaciū: Eſt eñ aliqđ
mendaciū qđ tunc inſinuabat ꝓpheta: in ꝗ
nulli parcaꝛ: id eſt ſi pctā ſua qſqꝫ confiteri
detrectans/defendat ea potꝰ et nolit agere
penitentiā: vt parū ſit/qꝛ operaꝛ iniquitatē
niſi etiā iuſtus videri volens medicine con
feſſionis non ſuccumbat: vt ipſa verboruz
diſtinctio non aliud intimare videatur:
Odiſti omnes qui operanꝛ iniquitatē/ſed
nō ꝑdes ſi penitendo in cōfeſſione veritatē

loquantur/vt faciendo iſtam veritatem ve/
niant ad lucẽ:ſicut in euangelio ſm iohan/
Joh.3.c. nem dicitur:Qui autez facit veritatem ve/
nit ad lucem. Perdes aũt oẽs qui nõ ſo/
lum operantur iniquitatẽ/quod odiſti/ ſed
etiã loquunt mẽdaciũ / falſam iuſticiã prę/
tendendo/ nec in penitentia cõfitendo pec/
cata: Naz de falſo teſtimonio qd in decem
pceptis legis poſitũ eſt/nullo modo quidẽ
cõtendi poteſt / dilectionẽ veritatis in cor/
de ſeruandã ⁊ proferendum falſum ad eum
apud quem dicitur teſtimonium. Cum eñ
deo tm̃ dicitur/tũc tm̃ in corde veritas am/
plectenda eſt. Cum autem homini dicitur/
etiã ore corporis verũ pferendum eſt:quia
homo non eſt cordis inſpector. Sed plane
de ipo teſtimonio nõ abſurde querit / apud
quẽ quiſqꝫ teſtis ſit: Nõ eñ apud qſcũqꝫ lo
quimur teſtes ſumus/ſed apud eos quibuſ
expedit ⁊ debetur p nos cognoſcere aut cre
dere vitatẽ: ſicuti eſt iudex / ne in iudicãdo
erret :aut qui docet doctrina religionis/ne
erret in fide:aut in ipſa doctoris auctorita/
te dubius fluctuet. Cum autẽ ille te interro
gat/aut vult ex te aliquid noſſe:qui eã rem
querit quę nõ ad eum pertineat/aut quã ei
noſſe nõ expedit:nõ teſtem/ſed proditorem
reqrit. Itaqꝫ ſi ei mentiaris/a falſo fortaſſe
teſtimonio alienus eris/ſed a mendacio p/
fecto non eris.

Ad ppoſitã in qntodecimo capitulo reuertit qſtionẽ: Ca.XVIII.

A Aliud igit eo ꝙ falſum teſtimonium
dicere nunqꝫ licet:querit vtrũ liceat
aliqñ mentiri. Aut ſi falſum teſtimo
niũ eſt omne mendaciũ: videndũ eſt vtrum
admittat cõpenſationẽ:vt dicatur vitandi
maioris peccati gratia: ſicut illud qd ſcptũ
Exo.20.b. eſt:Honora patrẽ ⁊ matrẽ/rapiente officio
potiore contemnit: vnde vltimũ ſepulturę
Math.8.c. honorẽ patri prohibet exoluere /qui ab ipo
dño ad regnũ dei annunciandũ vocat. Itẽ
Prouer.29.b qd ſcriptũ eſt:Verbũ excipiẽs filius a pdi/
tione longe aberit: excipiens aũt excipit il/
lud ſibi ⁊ nihil falſi de ore ipſi⁹ pcedit .Di/
cit aliqs nõ aliud hic accipiendũ eſſe qd po/
ſitum eſt:excipiens verbũ filius/niſi verbũ
dei qd eſt veritas. Ergo excipiens veritatẽ
filius / a perditiõe longe aberit: refertur ad
Ps.5. illud quod dictũ eſt:Perdes omnes qui lo
quũtur mendaciũ. Quod vero ſequit:exci/
piens aũt excipit illud ſibi: quid aliud inſi/
Gal.6.a. nuat/niſi qd apoſtolus dicit:Opus autem
ſuum probet vnuſquiſqꝫ/⁊ tũc in ſemetipſo
habebit gloriã:⁊ nõ in altero. Qui eñ exci/
pit chriſtũ/id eſt veritatẽ:nõ ſibi/ſed vt ho/
minibus placeat:nõ eam cuſtodit cũ eis vi/
det placere poſſe mendacio. Qui autẽ exci/
pit ſibi/nihil falſum de ore ipſius procedit:
quia etiã cũ placet hominibus mendacium
nõ mentitur ille qui veritatez: nõ qua illis/
ſed qua deo placeret excepit ſibi. Itaqꝫ nõ
eſt cur hic dicat:omnes quidẽ perdet qui lo
quuntur mendaciũ/ ſed nõ oẽ mendaciũ:
quando vniuerſaliter omnia mendacia cir/
cumciſa ſunt in eo qd dictuz eſt:⁊ nihil falſi
de ore ipſius procedit. Sed dicit alius:ita
eſſe accipiendũ ſicut accepit apoſtolus pau
lus qd ait dñs:Ego autẽ dico vobis nõ iu/ Matth.5.e.
rare omnino: Nam ⁊ hic omnis iuratio cir/
cũciſa eſt:ſed ab ore cordis/ vt nunqꝫ volun
tatis approbatione fieret/ſed neceſſitate in/
firmitatis alteri⁹/ id eſt malo alteri⁹ / cui nõ
aliter videt pſuaderi poſſe qd dicit/ niſi iu/
rãndo fides fiat:aut ab illo ĩmodo noſtro ꝙ Al. ĩmalo
hui⁹ mortalitatis adhuc pellibus inuoluti/
cor nrm̃ nõ valem⁹ oſtẽdere:qd vtiqꝫ ſi va/
lerem⁹/ iuratiõe opus nõ eſſet. Qꝫ etiã in
hac ſententia tota/ſi qd dictũ eſt:excipiens
verbũ filius a pditiõe longe aberit/ de ipſa
dictũ eſt veritate p quã facta ſunt omnia/q̃
incõmutabilis ſemp manet:qm̃ doctrina re
ligionis ad eam contẽplandã perducere ni/
titur:poteſt videri ad hoc eſſe dictũ:et nihil
falſi de ore ipſius pcedit : vt nihil falſi qd
ad doctrinã pertinet/dicat. Quod mẽdacij
genus nulla omnino cõpenſatione ſubeun
dum/penituſqꝫ ac pcipue deuitandũ ẽ. Aut
ſi qd dictũ eſt / nihil falſi / abſurde accipit ſi
nõ ad oẽ mendaciũ referat : qd dictũ eſt:
de ore ipius/ ſm ſuperiorẽ diſputationẽ os
cordis accipiẽdũ eſſe cõtendit qui aliquan/
do putat eſſe mentienduz. Hęc certe omnis B
diſputatio qũuis alternet:alijs aſſerẽtibus
nũqꝫ eſſe mentiendũ :⁊ ad hoc diuina teſti/
monia recitantib⁹:alijs cõtradicentibus/et
inter ipſa verba diuinoꝝ teſtimonioꝝ men
dacio locũ querentibus:nemo tamẽ poteſt
dicere/ hoc ſe aut in exemplo/aut in verbo
ſcripturarũ inuenire:vt diligendum vel nõ
odio habendũ vllum mendaciũ habeatur:
ſed interdũ mentiendo faciendũ eſſe quod
oderis:vt quod amplius deteſtandum eſt
deuitetur. Sed in hoc errant homines ꝙ
ſubdunt precioſa vilioribus. Cum eñ con/
ceſſeris / admittendũ eſſe aliquod malũ ne
aliud grauius admittatur:nõ ex regula ve/
ritatis/ſed ex ſua quiſqꝫ cupiditate atqꝫ cõ/
ſuetudine mentit malum:⁊ id putat graui⁹
qd ipſe amplius exhorreſcit/nõ qd amplius
reuera fugiendũ eſt. Hoc totũ ab amoris p/
uerſitate gignit vitiũ. Cũ eñ duę ſint vitę

147

nſe: Una ſempiterna ꝙ diuinitus ꝓmittitur:
altera tp̄alis in q̄ nunc ſum⁹: cū quiſq̧ iſtā
tp̄alē amplius diligere ceperit ꝙ̄ illā ſempi
ternā / ꝓpter hanc quā diligit putat eſſe oīa
faciēda: nec vlla eſtimat grauiora peccata
ꝙ̄ ꝙ huic vite faciūt iniuriā: et vel ei cōmo/
ditatis aliquid inique ⁊ illicite auferūt: aut
eā penitus illata morte adimunt. Itaq̧ fu/
res ⁊ raptores ⁊ contumelioſos et tortores
atq̧ interfectores mag̃ oderūt / ꝙ̄ laſciuoſ/
ebrioſos / luxurioſos: ſi nulli moleſti ſunt.
Nō eñ intelligūt aut oīno curāt ꝙ iſti deo
faciāt iniuriā: nō quidē in illius aliqḋ incō/
modū / ſed in ſuā magnā ꝑniciē: cū dona ei⁹
in ſe corrūpunt etiā tp̄alia: atq̧ ipſis corru/
ptionib⁹ auerſant̃ eterna: maxime ſi iā tem/
plū dei eſſe ceperūt / qḋ chriſtianis omnib⁹
1. Cor. 3. c. apl's ita dicit: Neſcitis quia tēplū dei eſtis:
⁊ ſpūs dei habitat in vobis? Quiſq̧s tēplū
dei corruperit / corrūpet illū de⁹: Tēplū eñ
C dei ſctm̄ eſt / qḋ eſtis vos. Et oīa qdē iſta
pctā / ſiue qb⁹ iniuria fit hoibus in ipſis vite
hui⁹ incōmodis / ſiue quib⁹ ſeipſi hoies cor/
rumpunt et nulli inuito nocēt: Oīa ꝙ iſta
pctā / etiā ſi huic tp̄ali vite ad aliquā dele/
ctationē vel vtilitatē vident̃ cōſulere: nam
nullus aliqḋ horū alio ꝓpoſito ac fine cō/
mittit: tamen ad illam vitā que ſempiterna
eſt implicatos oībus modis impediunt.
Horꝫ autē alia ſunt que ſolos facientes im/
pediunt: alia que hos etiā in quibus fiunt.
Nā illa ꝙ vtilitatis ad hanc vitā ꝑtinentis
gratia ſeruant̃ / cuꝫ auferunt̃ ab iniurioſis:
illi ſoli peccāt / ⁊ a vita eterna impediunt̃ q
ea faciūt / nō hi quib⁹ faciūt. Itaq̧ etiā ſi ea
ſibi auferri quiſq̧ ꝯſentiat / vel ne faciat ali/
quid mali / vel ne in his ipſis maius aliqḋ
incōmodi patiat̃: nō ſolū nō peccat / ſed illḋ
fortiter et laudabiliter / hoc vtiliter et incul/
pabiliter facit. Que autē ſctitat̃ religiōiſq̧
cauſa ſeruant̃ / cū hec violare iniurioſi volu
erint / etiā peccatis minorib⁹ / nō tñ iniurijs
aliorū: ſi cōditio ꝓponit̃ et facultas dat̃ / re/
tinenda ſunt: Et tūc iā illa deſinūt eſſe pctā
ꝙ ꝓpter grauiora vitāda ſuſcipiunt̃. Sicut
eñ in reb⁹ vtilibus / velut in pecunia aliove
cōmodo corꝑali / non vocat̃ damnū qḋ ꝓpt
maius lucrū amittit̃: ſic ⁊ in reb⁹ ſanctis nō
vocat̃ pctm̄ / qḋ ne graui⁹ admittat̃ / amittit̃.
Aut ſi et illud damnū dicit̃ qḋ aliqs perdit
ne ampli⁹ ꝑdat: vocet̃ ⁊ hoc pctm̄ dū tñ ſuſ/
cipiendū eſſe vt ampli⁹ euitet̃ / ita nemo du/
bitet: ſicut nemo dubitat cauendi maioris
damni cauſa patiēdū eſſe qḋ min⁹ eſt.

Qꝫ ſctitat̃ cauſa ſeruāda ſint pudicitia corporis et caſtitas anime ⁊ veritas doctrine: ⁊ quibus poſſint violari: Ca. XIX.

Ista ſunt autē ꝙ ſctitatis cauſa ſer/
uanda ſunt / pudicicia corꝑis / ⁊ caſti
tas anime / ⁊ v̾itas doctrine. Pudi/
citiam corꝑis nō conſentiente ac ꝑmittente
aīa / nemo violat. Quicqd eñ nobis inuitꝭ /
nulláq̧ tribuentib⁹ ꝑtātem maiore vi con/
tingit in nr̄o corpore / nulla impudicitia eſt:
ſed ꝑmittendi pōt eſſe aliq̄ ratio / conſenti/
endi autē nulla. Tūc eñ ꝯſentim⁹ / cū appro/
bamus et volum⁹. Permittim⁹ aūt etiā nō
volentes / euitande alicui⁹ maioris turpitu/
dinis gratia. Cōſenſio ſane ad impudicitiā
corꝑalem etiā caſtitatē animi violat. Ani/
mi q̄ppe caſtitas eſt in bona volūtate et ſin/
cera dilectiōe: ꝙ nō corrūpit̃ niſi cū amam⁹
atq̧ appetim⁹ qḋ amādū atq̧ appetendū nō
eſſe veritas docet. Cuſtodienda eſt ꝙ ſince/
riter dilectio dei et ꝓximi: in hac eñ caſti/
tas animi ſctificat̃: et agēdū quib⁹ poſſum⁹
virib⁹ / et pia ſupplicatione: vt cū violando
appetit̃ pudicitia corꝑis noſtri / nec ipſe ale
ſenſus extrem⁹ q carne implicat⁹ eſt aliqua
delectatiōe tangat̃: Si aūt hoc nō pōt / vel
mentis in nō cōſentiendo caſtitas ꝯſeruet̃.
Cuſtodienda eſt autē in animi caſtitate: qḋ
ad dilectionē ꝓximi ꝑtinet innocētia et be/
niuolētia: Qḋ aūt addit pietas / inocētia ē:
qua nulli nocem⁹: Beniuolētia / q etiā pro/
ſumus cui poſſum⁹: Pietas / q colim⁹ deuꝫ.
Ueritas aūt doctrine / religionis / atq̧ pie/
tatis nō niſi mendacio violat̃: cū ipſa ſum/
ma atq̧ intima v̾itas cui⁹ eſt iſta doctrina /
nullo modo poſſit violari: ad quā ꝑuenire /
atq̧ in illa oīmodo manere / eiq̧ penitus
inherere nō licebit / niſi cū corruptibile hoc 1. Cor. 15. g.
induerit incorruptioneꝫ / et mortale hoc in/
duerit īmortalitatē. Sed qꝛ oīs in hac vita
pietas exercitatio eſt / q in illā tendit̃: cui ex
ercitationi ducatū ꝓbet iſta doctrina q hu/
manis v̾bis et corꝑe corū ſacramentorū ſi/
gnaculis ipſam inſinuat atq̧ intimat veri/
tatem: propterea et hec ꝙ ꝑ mendaciuꝫ cor/
rumpi pōt / maxime incorrupta ſeruāda eſt:
vt ſi qḋ ī illa caſtitate animi fuerit violatū /
habeat vnde reparet̃. Corrupta eñ aucto/
ritate doctrine / nullus aut curſus aut recur
ſus eſſe ad caſtitatē animi poteſt.

Pro pudicitia corporis eſſe minime mentiendum: Ca. XX.

Onficit̃ ꝙ ex his oīb⁹ hec ſenten/ A
tia: vt mendaciū qḋ non violat do/
ctrinam pietatis / neq̧ ipſam pieta/
tem / neq̧ innocentiā / neq̧ beniuolentiā ꝓ
pudicitia corꝑis admittendū ſit: Et tamē ſi

quiſq̨ ꝓponeret ſibi ſic amandã veritatem:
nõ tñ que in contẽplando eſt/ſed etiam in
vero enũciando:qḋ in ſuo quoq̨ rerum ge/
nere verũ eſt: ⁊ non aliter proferendã motu
corporis ſententiam q̄ in animo concepta
atq̨ conſpecta eſt: vt fidei veridicam pul/
chritudinẽ:non ſolũ auro ⁊ argento ⁊ gem/
mis ⁊ amęnis prędijs/ſed ⁊ ipſi vniuerſę tẽ
porali vitę omniq̨ corporis bono prępone
ret:neſcio vtrũ a quoq̨ ſapienter errare di/
ceretur. Et ſi hoc ſuis omnibus talibus re/
bus recte anteferret / pluriſq̨ pẽderet:recte
etiã temporalibus rebus aliorum hominũ
quos innocentia/beniuolentiaq̨ ſua ſerua/
re atq̨ adiuuare deberet. Amaret eñ ꝑfe/
ctam fidem:nõ ſolum bene credendi ea quę
ſibi excellenti ⁊ fidedigna auctoritate dice/
rentur/ſed etiam fideliter enunciandi quę
ipſe dicẽda iudicaret / ac diceret: Fides eñ
appellata eſt in latina lingua ex eo quia fit
quod dicit̃. Q̄ manifeſtum eſt nõ exhibere
mentientẽ. Quę ⁊ ſi minus violatur/ cũ ita
quiſq̨ mentitur vt ei nullo incõmodo/nul/
laq̨ pernicie credatur:addita etiã intentio/
ne vel ſalutis tuendę vel pudicitię corpora
lis: violatur tamen: ⁊ res violatur in animi
B castitate atq̨ ſanctitate ſeruãda. Unde co/
gimur nõ opinione hominũ quę plerũq̨ in
errore eſt/ſed ipſa quę omnibus ſuperemi/
net atq̨ vna inuictiſſima eſt veritate/etiam
pudicitię corporis perfectãq̨ fidẽ antepo/
nere. Eſt eñ animi caſtitas amor ordinatꝰ
nõ ſubdens maiora minoribuſ. Minus eſt
eñ quicq̇d in corpore q̄ quicq̇d in animo
violari poteſt. Certe eñ cum pro pudicitia
corporali quiſq̨ mẽtitur/ videt quidẽ cor/
rumpendo corpori ſuo/nõ ſuã ſed alienam
imminere libidinẽ:cauet tamen ne ſaltẽ per
mittendo ſit particeps. Permiſſio vero illa
vbi niſi in animo eſt etiã corporalis? Ergo
pudicitia corrũpi niſi in animo non poteſt:
Quo nõ conſentiente/neq̨ ꝑmittente/nul/
lo modo recte dicit̃ violari pudicitia corpo/
ralis quicq̇d in corꝑe fuerit aliena libidine
perpetratũ. Unde colligitur multo magis
animi caſtitatẽ ſeruandam eſſe in animo/in
quo tutela eſt pudicitię corporalis/q̄ q̇cq̇d
in corpore fuerit aliena libidine ꝑpetratũ.
Quobrem qḋ ĩ nobis ẽ vtrũq̨ ſctis moribꝰ
⁊ ꝯuerſatione muniendũ ẽ atq̨ ſepiẽdũ ne
alicunde violetur. Cum autẽ vtrũq̨ nõ po/
teſt/q̇d ꝓ quo ſit cõtemnẽdũ q̇s nõ videat:
cũ videat q̇d cui ſit ꝓponẽdũ: animꝰ corpi/
an corpus animo:animi caſtitas pudicitię
corporis / an pudicitia corꝑis caſtitati ani/
mi? Et quid magis in peccatis cauendum:
ꝑmiſſio facti alieni/an cõmiſſio facti tui?

Epilogatio predictorũ perpul/ chra:et de cecitate aſſerentiũ in ca/ ſu nõ mẽtiri peccatũ eſſe: Ca. XXI.

Lucet itaq̨ diſcuſſis oĩbus nihil A
e aliud illa teſtimonia ſcripturaꝝ mo
nere / niſi nunq̨ eſſe oĩno mẽtien/
dum: Quãdoquidẽ nec vlla exempla men/
daciorum imitatione digna in moribus fa/
ctiſq̨ ſanctorũ inueniant̃. Qḋ ad eas atti/
net ſcripturas quę ad nullã figuratã ſignifi
catione referunt̃:ſicuti ſunt res geſtę in acti
bus apoſtoloꝝ. Nam dñi omnia in euange
lio quę imperitioribꝰ mẽdacia vident̃/figu/
ratę ſignificationes ſunt. Et qḋ ait apoſto/
lus: Omnibꝰ omnia factus ſum vt oẽs lu/ 1. Cor. 9. d.
crifacerẽ:nõ eũ mentiendo/ſed cõpatiendo
feciſſe recte intelligitur. Ut tanta charitate
cũ eis liberandis ageret:ac ſi ipſe in eo ma/
lo eſſet a quo illos ſanare cupiebat. Nõ eſt
igit̃ mentiendũ in doctrina pietatis: Ma/
gnum eñ ſcelus eſt/⁊ primũ genꝰ deteſtabi
lis mendacij. Nõ eſt mentiendũ ſecũdo ge/
nere: quia nulli faciẽda eſt iniuria. Non eſt
mentiendũ tertio genere: quia nulli cũ alte
rius iniuria cõſulendũ eſt. Nõ eſt mẽtiẽdũ
quarto genere: propter mendacij libidinẽ:
quę per ſeipſam vitioſa eſt. Non eſt mẽtien
dum quinto genere: quia nec ipſa veritas
fine placendi hominibꝰ enũcianda eſt / q̄to
minus mendacium: quod per ſeipſum quia
mendaciũ eſt / vtiq̨ turpe eſt. Non eſt men/
tiendum ſexto genere: neq̨ eñ recte etiam
teſtimonij veritas pro cuiuſq̨ tẽporali com
modo ac ſalute corrumpit̃. Ad ſempiternaꝫ
vero ſalutẽ nullus ducendus eſt opitulan/
te mendacio: Non eñ malis conuertentiuꝫ
moribus ad bonos mores cõuertẽdus eſt:
Quia ſi erga illum faciendũ/faciẽdũ debet
etiam ipſe cõuerſus facere erga alios. Atq̨
ita nõ ad bonos/ſed ad malos mores con/
uertitur/cũ hoc ei prębet̃ imitandũ cõuerſo
quod ei pręſtitũ eſt cõuertendo. Neq̨ ſepti/ B
mo genere mentiendũ eſt: Non eñ cuiuſq̨
cõmoditas aut ſalus temporis perficiendę
fidei ꝓferenda eſt. Nec ſi quiſq̨ in recte fa/
ctis noſtris tam male mouetur vt fiat etiã
animo deterior/ lõgeq̨ a pietate remotior/
propterea recte facta deſerenda ſunt: cũ id
nobis pręcipue tenendum ſit quo vocare
atq̨ inuitare debemus quos ſicut noſmet/
ipſos diligimus: fortiſſimoq̨ animo biben
da eſt apoſtolica illa ſententia: Alijs qui/ 2. Cor. 2. d.
dem ſumus odor vitę in vitam: alijs odor

mortis in mortē: Et ad hec quis idoneus? Nec octauo genere mentiendum eſt: quia et in bonis caſtitas animi/pudicitia corporis: et in malis id quod ipſi facimus / eo ꝙ fieri ſinimus maius eſt. In his autem octo generibus: tanto quiſqȝ minus peccat cum mentitur / quanto emergit ad octauū: tanto amplius: quanto emergit ad primum.

¶ Quiſquis aūt eſſe aliquod genus mendacij quod peccatū non ſit putauerit/ decipiet ſeipſum turpiter: cū honeſtū ſe deceptorem arbitratur. Aliorū tanta porro cęcitas hominū animos occupauit/ vt eis parum ſit ſi dicamus quędā mendacia nō eſſe peccata/ niſi etiam in quibuſdā peccatū ꝫ dicant eſſe ſi mendaciū recuſemus: eoqȝ perducti ſunt defendendo mendaciū/ vt etiam primo illo genere quod eſt omniū ſceleratiſſimū/ dicāt vſum fuiſſe apoſtolū paulum. Nam in epiſtola ad galathas/ quę vtiqȝ ſicut cętera ad doctrinam religionis pietatiſqȝ conſcripta eſt/ illo loco dicūt eſſe mentitum/ vbi ait de petro ⁊ barnaba: Cū vidiſſem quia nō recte ingrediunt ad veritatē euāgelij. (Gal. 2. c.) Cū enī volunt petrū ab errore/ atqȝ ab illa in quā inciderat vię prauitatē defendere/ ipſā religionis viam in qua ſalus eſt omnibus / cōfracta ⁊ cōminuta ſcripturarū auctoritate conantur euertere: In quo nō vident/ nō ſolū mendacij crimen/ ſed etiā periurij ſe obijcere apoſtolo in ipa doctrina pietatis/ hoc eſt in epiſtola in qua prędicat euāgelium: vbi quippe ait priuſqȝ iſta narraret: Quę autem ſcribo vobis: ecce corā deo/ quia nō mentior. (Gal. 1. d.) Sed iam ſit huiꝰ diſputatiōis modus in cuius totius conſideratione ⁊ pertractatione nihil prę cęteris cogitandū atqȝ orandum eſt/ ꝙ illud quod idē apoſtolus dicit: Fidelis deus qui nō vos ſinet temptari ſupra ꝙ poteſtis ferre/ ſed faciet cum temptatione etiam exitū vt poſſitis ſuſtinere. (1. Cor. 10. c.)

Sancti auguſtini hipponenſis epiſcopi de mendacio ad conſentiū/ liber explicit.

Pręſentis chartas libri ſi forte requiris:
Hanc tabulā lector perlege/ et inuenies.

a
Prima vacat
Diui aurelij
vt confido
iudęoꝝ legem
ęquus ⁊ minime

b
etiam illa
Diui aurelij
Sicut ſine dei
Hoc loco ſi

c
vnde a vitioꝝ
bilis/ ęternam
triū: Huic autē
cōſtitueret oia

d
ꝓferat: ſic illa
qd in cęlo eſſe
ctio dei/ ſed
Capituloꝝ libri
cit deus cęlum

e
madefactā ātris
dicimus ⁊ aīalia
omnē peccantē
firmitas intus

f
qꝛ hominē lęſit
ꝓijcientis vxorē
Sanctificatꝰ eſt
quia ciuitas ęſt

g
Quiſem audeat
ꝗ agit ꝑtinētis
one beniuolētia
luptatibꝰ aduer.

h
cęli/ aut lilia
curet: ſed ſi quis
aliꝗ occultare ſe
etiā addidit

i

k
Diui aurelij
Quō deū et
ſici arīdā factā
temporaliū ille.
dei: nō ꝑturba.

l
populo dei
buntur. Ipſe
dicentis/ dēbo
neqȝ vxores du.

m
veſtra ꝓpt̄ ſpm̄
ritū adoptionis
ſe opponat et
bus iſta inuidēda

n
videant bona
cū ſint et ipſi
Quare itelligē.
ſtrata eſt omnis

o
His ꝗbus eos
ipſam/ ex alia
et cōſuetudo
eſt/ niſi chriſtia.
beri oportere

p
malam/ et
chriſtus et in
Eiuſdē diui
erit vitiatus.

q
et econuerſo
inuenire/ poteſt
aut cū magno
oportebat/ vt

r
Poſtꝙ ergo
nemo ſcit. Et
peccatoꝝ: non
fruſtra dictū eſt:

s
delector enī legi
laborat ſub ſole
Nunqd dicit
Vbū caro factū ē
dicit: Quid aūt

t
mundi corpori
cū figura hu.
Et h̄ eſt tēpus
autē et dicit:
Qui gloriatur/

v
verſutiā rep̄hen
Qꝛ nec ꝑiculcā.
Qꝛ in doctrinę
fugiētē diligētia
vt nihil ſecū